

SCRIPTA

Numéro Scripta : 1911

Auteur(s) : Coutances (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1316, 18 avril

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

Arrangements faits entre l'évêque et le chapitre cathédrale de Coutances.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa*, t. XI, Paris, Palmé, 1874, nInstrumenta ecclesiae Constantiensis, n° XXXIX, col. 263-270.

Texte établi d'après a

In nomine Domini nostri Jesu Christi, amen. Universis Christi fidelibus præsentis literas inspecturis et auditoris humile capitulum ecclesie Constantiensis, salutem in Domino sempiternam. Per præsens publicum instrumentum sigillo nostro sigillatum manuque subscripti publici notarii scriptum et ejus signo solito signatum ad majorem notitiam et certitudinem hujus rei, cunctis pateat evidenter quod hoc est transcriptum quarumdam literarum sigillo bonæ memoriæ Roberti quondam et nuper episcopi Constantiensis, ac sigillo nostro prædicto sigillatarum, necnon et principii et finis quarumdam aliarum literarum confirmatoriarum supra contentis in literis supradictis et tenorem earumdem continentium sigillo reverendi in Christo patris domini, Dei gratia, Rothomagensis archiepiscopi sigillatarum ; cui transcripto tanquam originali fidem volumus adhiberi, et ut transcriptum hujusmodi vim et robur originalium obtineat quæ penes nos retinemus, eidem transcripto auctoritatem nostram in quantum possumus, interponimus et decretum. Dictarum vero literarum tenor dignoscitur esse talis: Universis hæc visuris et auditoris, Robertus, permissione divina, episcopus, et humile capitulum Constantiensis ecclesie, salutem in Domino. Notum facimus quod cum dudum super quibusdam articulis subscriptis inter bonæ memoriæ Joannem olim episcopum, et capitulum Constantiense orta fuisset contentio ; tandem idem Joannes episcopus et nos capitulum, ducti bonorum virorum consilio, interveniente bonæ memoriæ Odone pro tempore archiepiscopo Rotomag. super eadem contentione in venerabiles et discretos viros magistros Matthæum de Esseio Constantiensem canonicum, et Johannem de Caromonte archidiaconum Bajocensem, ac Petrum de Maceriis rectorem ecclesie de Lingrevilta, pro parte compromisimus. Qui quidem arbitri, onere hujusmodi compromissi in se suscepto, et cognito de præmissis, suam arbitralem sententiam super dictis articulis protulerunt et ordinauerunt, prout in quodam instrumento super hoc confecto sigillis eorum sigillato plenius continetur, cujus tenor dignoscitur esse talis : In nomine sanctæ et individue Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, amen. Cum inter reverendum patrem Joannem, Dei gratia, Constantiensem episcopum ex una parte, et viros venerabiles capitulum Constantiense ex altera, coram reverendo patre Odone, Dei gratia, Tusculano episcopo, a domino papa in curia dictis partibus auditore concesso, super diversis articulis contentis in libellis hinc et inde editis coram auditore prædicto quæstio seu contentio verteretur ; tandem interveniente reverendo patre Odone, Dei gratia, Rotomagensi archiepiscopo, supra omnibus et singulis articulis contentis in dictis libellis, quorum tenorem de verbo ad verbum propter ipsorum prolixitatem præsentibus inserendum non duximus, in nos sub hac forma a prædictis partibus extitit compromissum, videlicet quod nos mag. Matthæus de Esseio Constantiensis canonicus, et Petrus de Maceriis

rector ecclesiæ de Lingrevilla pro parte Constantiensis diœcesis, auditis hinc et inde rationibus, tam juris quam facti, pace, iudicio vel amicabili compositione de plano, prout vellemus et expedire videremus procedentes, deberemus intra octavas Assumptionis beatæ Mariæ virginis una die, una sententia vel pluribus dictum nostrum vel arbitrium, sententiam, seu ordinationem proferre, sive terminare negotium, prout expediens videremus. Quod si discordes essemus in aliquo, vir venerabilis et discretus magister Joannes de Caromonte archidiaconus Bajocensis, tertius arbiter a dictis partibus communiter electus extitit et assumptus ; ita quod partes prædictæ starent et stare deberent plurium sententiæ sive dicto. Verum quia nos duo prædicti Matthæus et Petrus dictum negotium non poteramus concorditer terminare ; præfatum archidiaconum ad hoc juxta formam compromissi duximus evocandum. Nos igitur prænominatus Joannes archidiaconus Bajocensis, a jam dictis magistris Matthæo et Petro coarbitris propter eorum discordiam specialiter evocatus, et nos prædicti Matthæus et Petrus, vocatis partibus antedictis ad audiendum dictum nostrum arbitrium, sententiam sive ordinationem nostram super negotio de quo in nos extitit compromissum, ad diem Martis post Assumptionem B. Mariæ virginis a nobis eisdem partibus ad hoc peremptorie assignatam, et eadem die sufficienter comparentibus coram nobis, prædictum negotium sub forma quæ sequitur, juxta dicti compromissi a nobis recepti tenorem, duximus terminandum. In primo itaque pro bono pacis ordinando injungimus reverendo patri Joanni, Dei gratia, Constantiensi episcopo, ne ipse procedat ulterius super facto præbendæ quæ fuit quondam prioris de Britannia ordinis S. Augustini in ecclesia Constantiensi, compellendo capitulum Constantiense ad receptionem abbatis de Troarno, ordinis sancti Benedicti, Bajocensis diœcesis, ad eandem præbendam in canonicum et in fratrem, aut assignando seu assignare faciendo eidem abbati locum in capitulo et stallum in choro in ecclesia Constantiensi, vel etiam juvando præfatum abbatem super prædictis occasione dictæ præbendæ contra capitulum memoratum : inhibentes dicto priori Constantiensi ne executionem collationis dictæ præbendæ quantum in se est ulterius prosequatur. Item, ordinando injungimus prædicto reverendo patri episcopo Constantiensi, ut Guillelmum de Troarno nepotem suum, et ejus uxorem et familiam, intra festum sancti Michaëlis proxime venturum, a manerio de Templaria juxta sanctum Laudum omnino amoveat, ita quod ibi a festo prædicto de cetero non morentur, nec alius nomine eorumdem, ne exinde futuro successori dicti patris et dictæ ecclesiæ suæ Constantiensi possit in posterum præjudicium generari. Item, ordinando statuimus ut episcopus Constantiensis abbates Constantiensis diœcesis irrequisito capitulo Constantiensi, ubi voluerit instituat, destituat et confirmet. Item, ordinando definivimus ut episcopus Constantiensis abbates Constantiensis diœcesis benedicat in ecclesia Constantiensi et non extra, nisi idem episcopus infirmitate fuerit impeditus, vel nisi de consensu capituli Constantiensis : et si aliquos benedixerit extra ecclesiam propter infirmitatem corporis, vel de consensu capituli Constantiensis, dominus episcopus mittet sic benedictos, antequam accedant ad monasteria sua, facturos professionem ecclesiæ Constantiensi et alia consueta. Facient autem abbates extra ecclesiam Constantiensem benedicti juramentum et professionem sub hac forma : Ego talis abbas de tali loco obedientiam, reverentiam et subjectionem huic sanctæ ecclesiæ Constantiensi perpetuo me exhibiturum promitto, et super hoc altare propria manu subscribo. Item, ordinando pronunciamus ut episcopus Constantiensis sine consensu capituli sui non possit dare licentiam thesaurario et scholastico ecclesiæ Constantiensis absentandi se ab ecclesia memorata. Item, ordinando pronunciamus quod episcopus Constantiensis canonicos Constantiensis ecclesiæ ad præsentationem capituli Constant. ad ordines promovebit. Item, ordinando pronunciamus ut episcopus Constantiensis clericos chori ecclesiæ Constantiensis promoveat ad ordines, si cantor eos in persona propria præsentet, vel per literas suas continentes salutem et reverentiam tanto patri debitam et devotam. Item, ordinando pronunciamus ut episcopus Constantiensis de nemoribus suis, sine consensu capituli, utatur et faciat prout ipse et prædecessores sui consueverunt facere temporibus retroactis. Item, ordinando pronunciamus quod episcopus Constantiensis solvet capitulo Constantiensi decem libras Turonenses distribuendas, prout moris est, pro conreio in Nativitate Domini, in festo Resurrectionis ejusdem, in festo Pentecostes, in festo Assumptionis B. Mariæ virginis, et in festo sancti Laudi, videlicet in singulis dictarum festivitatum singulas decem libras, quandocumque et quotiescumque in aliqua dictorum festorum absentem dictum episcopum a civitate Constantiensi fore contigerit. De illa vero medietate ecclesiæ de Nidocorvi, cujus medietatis dedit eidem episcopo Guirardus de Gucvartot miles jus patronatus, suam faciat voluntatem episcopus ; et ad hoc præstabit assensum capitulum Constant. quantum in se erit, ad requisitionem episcopi memorati. Item, ordinando pronunciamus quod bona canonicorum ab intestato decedentium, tam simplicium quam personatus et dignitates habentium, per episcopum et capitulum disponantur, vel per deputatos ab ipsis. Item, ordinando pronunciamus quod assolarium ad usum fabricæ ecclesiæ Constantiensis gratis et libere sine reclamatione capituli ipsiusque contradictione perpetuo debeat remanere. Item, pro bono pacis absolvimus ab impetitione dicti capituli et procuratoris ejusdem super domo thesaurarii Constantiensis, cum inde fecerit compensationem thesaurario memorato. Item, ordinando pronunciamus super

articulo de non solvendo pecuniam ad sigillum curiæ Constantiensis, pro sigillandis literis impetrandis a capitulo, fore hoc liberalitati dicti episcopi relinquendum. Item, ordinando pronunciamus quod episcopus solvet capitulo Constantiensi XXV libras pro XL solidis Turonensibus annui redditus quas petebat capitulum ab eodem episcopo, pro manerio quod fuit quondam Radulphi Norjot sito ante portas majoris ecclesiæ Constant. et quod dictum capitulum in dicto manerio nihil reclamabit de cetero, et tradet episcopo chartas et munimenta quæ habet inde. Item, cum prædictum capitulum Constantiense proponeret contra dictum episcopum quod cum idem capitulum esset et fuisset in possessione vel quasi instituendi et destituendi vicarium in ecclesia B. Mariæ de Monte Constantiensis diœcesis, et visitandi, et hujusmodi jurisdictionem exercendi ibidem, idem episcopus in eadem ecclesia vicarium de facto, cum de jure nequiverit, contra justitiam instituit in ejusdem capituli præjudicium et gravamen, et aliter quominus dictum capitulum visitet in eadem, et in ejus vicarium seu plebem justitiam exerceat, impedit et perturbat ; quare petebat dictum capitulum dictum vicarium a prædicta vicaria sententialiter amoveri, et quod erat actum per eundem episcopum in hac parte, cassari, cassum et irritum nunciari, et eidem episcopo sententialiter injungi ut dictum capitulum permetteret prædicta libere exercere: nos dictum episcopum ab impetitione dicti capituli et procuratoris ejusdem super præmissis in hoc articulo contentis duximus absolvendum. Item, ordinando pronunciamus jus patronatus ecclesiæ de Bella-valle ad dictum capitulum pertinere, seu de cetero spectare debere, ita tamen quod institutus nunc per episcopum in ecclesia supradicta non amoveatur, sed per capitulum repræsentetur episcopo, et ab eodem episcopo ad præsentationem capituli admittatur. Item, ordinando pronunciamus quod recipiendus in canonicum in ecclesia Constantiensi juramentum præstabit in capitulo sub hac forma, videlicet fidelitatem ecclesiæ Constantiensi, et se antiquas et approbatas consuetudines servaturum. Item, cum proponeret dictum capitulum contra præfatum episcopum, quod cum idem capitulum fuisset aut in possessione vel quasi ponendi custodes in eadem ecclesia Constantiensi, et etiam amovendi eosdem una cum episcopo antedicto, idem episcopus quosdam custodes amovit et alios posuit dicto capitulo invito et irrequisito, quare petebat quod per eundem factum erat cassari, cassatum et irritum nunciari, et sibi inhiberi quod talia sine capitulo non attentaret, et ad prædictam possessionem vel quasi restitui et restituendum fore decerni ; nos dictum episcopum in hoc articulo ab impetitione dicti capituli et procuratoris ejusdem duximus absolvendum. Item, super eo quod dictum capitulum proponebat contra dictum episcopum, quod idem episcopus ecclesias et beneficia sibi seu mensæ suæ et aliis Constantiensis diœcesis, sine consensu dicti capituli appropriaverat, dictum episcopum ab impetitione dicti capituli et procuratoris ejusdem duximus absolvendum. Item, ordinando pronunciamus quod canonici præbendarum de Manceleria, de sancto Sansone, de Quibouc, de Traleio, et de S. Laudulo super Siennam, de Mulle-villa et de Uruilla, in homines suos dictarum præbendarum habeant jurisdictionem temporalem et spiritualem, et dispositionem bonorum ab intestato decedentium ; et si contingeret quod dicti homines citarentur vel traherentur in curia laicali coram episcopo Constantiensi vel ejus allocatis, idem episcopus vel ejus allocati reddent repositibus canonicis dictarum præbendarum vel eorum allocatis curiam suam : si vero citentur vel trahantur in curia ecclesiastica coram episcopo vel ejus officialibus vel alternatis, excipient de foro et remittentur ad examen prædictorum canonicorum ; si autem ab audientia dictorum canonicorum per dictos homines contigerit in foro ecclesiastico appellari, erit appellandum ad capitulum, et a capitulo ad episcopum: hæc autem de prænominatis præbendis ordinamus, salvo jure aliarum præbendarum ecclesiæ Constantiensis, et etiam prædictarum si quæ alia jura habere dignoscantur. Item, ordinando pronunciamus quod episcopus Constantiensis capitulo Constant. solvat singulis annis viginti solidos Turonenses pro decima molendini sui de Bono-fossato ; decernentes ut dictum capitulum dictis viginti solidis Turonensibus eisdem annuatim solvendis pro dicta decima de cetero sint contenti. Item, super eo quod dictum capitulum petebat eidem episcopo injungi quod distributiones quas idem episcopus in sua absentia percepit et percipere consuevit, quatuor clericis Constantiensis ecclesiæ per manum communicarii erogaret, et eis permetteret per manus dicti communicarii erogari, hoc per ordinationem nostram episcopi conscientiæ duximus relinquendum. Item, ordinando pronunciamus quod capitulum Constantiense de cetero rocheta puerorum chori de suo inveniat et procuret, et quod episcopus Constantiensis cruces novas inveniat, seu fieri faciat et procuret, et veteres reparari faciat. Item, ordinando pronunciamus quod canonici Constantienses ecclesias parochiales habentes in civitate vel diœcesi Constantiensi non annexas præbendis, tenebuntur exequi mandata episcopi Constantiensis per se vel per alium ; dummodo idem episcopus tamquam rectoribus, et non tamquam canonicis, scribat eis. Item, ordinando pronunciamus quod episcopus Constantiensis fabricam ecclesiæ Constantiensis, et bona fabricæ dictæ, prout consuevit, custodiat. Si tamen grande opus immineat in dicta ecclesia faciendum, episcopus illud faciat seu fieri faciat, requisito consilio capituli vel majoris partis præsentium in ecclesia supradicta. Item, super eo quod dictum capitulum proponebat contra prædictum episcopum, quod contra consuetudinem, in diversis locis Constantiensis diœcesis plures officiales instituit sine consensu dicti capituli, eundem episcopum in dicto articulo ab impetitione dicti capituli, et procuratoris ejusdem duximus absolvendum. Item, super articulo de consuetudinibus, statutis et usibus approbatis ab episcopo non servatis, prout proponebat procurator dicti capituli, et in libello dicti capituli plenius continetur, dictum episcopum ab impetitione dicti capituli et procuratoris ejusdem duximus absolvendum. Super eo vero quod prædictus episcopus Constantiensis contra dictum capitulum Constantiense proponebat quod ipsi non absque juris injuria, de facto, licet de jure non possent,

supposuerant temere ecclesiastico interdicto cessantes a divinis et officiis consuetis, in injuriam, contemptum, et præjudicium prædictorum episcopi et ecclesiæ memoratæ, et peteret ejusmodi interdictum cassari et irritari, cassum, nullum et irritum nunciari, et eidem capitulo sententialiter inhiberi, ne de cetero præsumerent attentare, prout in libello ejus plenius continetur ; pro bono pacis per ordinationem nostram taliter definivimus, ut per interdictum seu cessationem a solemnitate divinorum officiorum consueta in ecclesia Constant. interposita vel facta per capitulum seu canonicos Constantienses, anno Domini M. CCLXI, ab octo diebus ante Nativitatem Domini, vel circa, usque post Purificationem beatæ Mariæ virginis, nihil juris circa proprietatem vel possessionem dictis capitulo vel canonicis acquiratur, nec episcopo Constantiensi vel ejus successoribus aliquod præjudicium generetur ; et si quid juris exinde prædictis capitulo et canonicis fuerit acquisitum, vel episcopo præjudicium generatum, una cum ipso actu dictorum interdicti seu cessationis a solemnitate solita divinorum, cassa et irrita penitus per ordinationem nostram pronunciamus, pro infectis penitus habeantur. Super inhibitione facta per dictum capitulum vel dictos canonicos, ut dicitur, clericis et vicariis ecclesiæ Constantiensis, ne ipsi episcopo celebranti in majori altari dictæ ecclesiæ Constantiensis assisterent, vel ipsum cantando vel legendo, in celebratione juvent ; necnon et super expulsionem, ut dicebat idem episcopus, quorundam ab ipsorum collegio pro eo quod dicto episcopo astiterant in dicta ecclesia celebranti divina, et super injuriis, interesse, damnis et expensis, quæ idem episcopus occasione prædictorum petebat, dictum capitulum et procuratorem ejusdem absolvimus. Item, super eo quod dictus episcopus contra dictum capitulum proponebat quod ipsi, ipsius episcopi consensu minime requisito, temere statuerant quod quilibet de seipsis semel in hebdomada possit abesse a matutinis officiis, et nihilominus de quotidianis distributionibus quæ communia dicuntur, possint recipere integram portionem, hujusmodi absentia non obstante ; et quod statuerant quod illi canonici qui in qualibet septimana die Veneris ad capitulum convenirent, habeant duodecim denarios de communia ; et quod singuli ex ipsis in certis defunctorum anniversariis, de quotidianis distributionibus seu communia duplicatam recipiant portionem : insuper et quod statuerant quod expensæ quæ per canonicos dictæ ecclesiæ incipientes antiphonas singulis annis in septem diebus ante Nativitatem Domini de bonis propriis ipsorum canonicorum fieri consueverant, de communibus distributionibus seu communia ministrentur ; et quod singulis annis in die capituli generalis, et die sequenti, quilibet canonicus recipiat viginti solidos Turonenses ; et quod concesserant cuidam laïco nomine Norjot, quod ipse perciperet singulis diebus quotidianas distributiones sicut unus de canonicis ecclesiæ memoratæ, prout in libello dicti capituli prædicta plenius continentur : ordinando pronunciamus ut prædicta statuta in suo statu remaneant, maxime cum nobis constiterit eundem episcopum præsentem in aliquibus extitisse. Item, super collatione trium vicariarum majoris altaris, et institutione et destitutione vicariorum earundem, dictum capitulum et procuratorem ejusdem ab impetitione dicti episcopi, sententialiter duximus absolvendum. Item, super articulo de jurisdictione omnimoda quam idem episcopus vendicabat in habentibus dignitates seu personatus, necnon in canonicis, et vicarias obtinentibus, ordinando pronunciamus quod dictum capitulum in causis pecuniariis habeat jurisdictionem in canonicos simplices, et personatus seu dignitates habentes, et vicarios ecclesiæ Constant. episcopus vero in causis criminalibus habeat jurisdictionem in prædictos, exceptis furto, adulterio, incestu, et aliis minoribus criminibus, atque sacrilegio, in ecclesia et in civitate Constantiensi commisso : episcopus vero in archidiaconos, in causis pecuniariis, necnon et contractibus et delictis ratione archidiaconatum suorum initis et commissis jurisdictionem exercent. Ratione autem præbendarum suarum respondeant coram capitulo in causis pecuniariis : in criminalibus vero respondebunt coram episcopo et capitulo, prout de canonicis simplicibus et aliis personatus seu dignitates habentibus superius est expressum. Per hanc ordinationem nostram quod inter dictos episcopum et capitulum Constantiense de vicariis in hoc articulo fecimus, nulli alii volumus præjudicium generari. Actum apud Constantias anno Domini M. CCLXIII, die Martis post Assumptionem B. Mariæ virginis.

Verum quia nos Robertus episcopus dicebamus sententiam et ordinationem prædictas esse personales nobis, capitulo contrarium asserentibus, ut dissentionis et dubitationis omnis materia tollatur, ac contentionis occasio amputetur, et ut pax et concordia in posterum observentur, composuimus super præmissis in modum taliter subsequentem : videlicet quod cum nos capitulum prædicti diceremus eundem dominum Robertum episcopum teneri benedictiones in ecclesia Constantiensi abbatibus suæ diœcesis impertiri, Roberto episcopo contrarium asserente ; demum inter nos Robertum et capitulum prædictos super hoc concordatum fuit, actum et conventum, et etiam ordinatum, ita quod nos Robertus episcopus et successores nostri, cum necesse fuerit abbates benedicti a nobis, poterimus ubicumque voluerimus extra civitatem Constantiensem diœcesis abbatibus impertiri benedictiones, prout nobis visum fuerit expedire ; quodque abbates hujusmodi cum et ubicumque fuerint benedicti, adire Constantiensem ecclesiam, et ibi eidem ecclesiæ facere fidelitatis debitum et solitum juramentum tenebuntur antequam possint ad sua cœnobita remeare, sicuti abbates ejusdem diœcesis benedicti perantea facere tenebantur.

Et quod si contingat nos vel successores nostros benedictiones hujusmodi celebrare in civitate Constantiensi alibi quam in ecclesia memorata ; illi qui extra eandem ecclesiam fuerint benedicti, statim post benedictionem hujusmodi tenebuntur adire ipsam ecclesiam. et ibi prædictum facere juramentum. Et si qui abbates in eadem ecclesia fuerint benedicti, incontinenti facient ipsi ecclesiæ hujusmodi juramentum, prout extitit consuetum. Ac etiam quod nos episcopus et successores nostri tenebimur injungere abbatibus prædictis cum benedicti fuerint quovis loco, ut adeant Constantiensem ecclesiam supradictam, et ibi faciant prædictum fidelitatis et solitum juramentum priusquam valeant redire ad monasteria eorumdem, ipsosque abbates ad hoc, si opus fuerit, coercere : prædicta tamen sententia arbitrari in ceteris omnibus articulis remanente in suo robore perpetuo duratura. Præterea statuimus et ordinamus, et ex causa, quod nos episcopus ac capitulum non poterimus, nec successores nostri, in posterum vendere nemora in toto vel in parte, de nostro parco Constantiensi et de Bono-fossato, sine assensu et voluntate nostrorum totius capituli prædictorum, supra hoc ita solemniter sicut et pro electione episcopi vocandorum. Articulum autem in alia compositione contentum de literis singulis canonicis gratis concedendis, intendimus, declaramus et volumus, non solum in nostra Constantiensi, sed etiam in Valloniensi curia observari. Ceterum autem ut omnia præmissa per nos Robertum episcopum et capitulum, ut præmittitur, ordinata, utilitatibus nostris ac nostrorum successorum, et ecclesiæ prædictæ pensatis, consideratisque considerandis, et deliberatione super hoc præhabita diligenti, valeant in perpetuum inviolabiliter observari, et obtineant roboris firmitatem, una cum ceteris omnibus et singulis in prædictis articulis enarratis : nos Robertus episcopus et capitulum reverendo in Christo patri ac domino domino, Dei gratia, archiepiscopo Rothomagensi metropolitano nostro, tenore præsentium humiliter supplicamus, ut sic placeat sibi præmissa omnia et singula auctoritate sua metropolitana, modo debito confirmare, aliis compositionibus, usibus et consuetudinibus Constantiensis ecclesiæ in suo robore duraturis. In cujus rei testimonium et munimen præsentis literas nostrorum sigillorum characteribus fecimus roborari. Actum apud Constantias in capitulo Constantiensi ecclesiæ supradictæ, anno Domini M. CCCXIII, die Jovis post Assumptionem beatæ Mariæ virginis. Has vero dictiones, et capitulo Constantiensi beatæ Mariæ virginis abbates benedicti a nobis, ut interlinearum scriptas superius, necnon et tractum factum inter istam dictionem, trium, et hanc, vicariam, factum in præsentis litera approbamus. Literæ vero prædictæ confirmatoriæ tenorem suprascriptarum literarum et seriem continentes, sic incipiunt. Universis hæc visuris et audituris, Ægidius, permissione divina, Rotomagensis archiepiscopus, salutem in Domino sempiternam. Patentes literas sigillis venerabilis fratris nostri domini Roberti, Dei gratia, episcopi, ac discretorum virorum capituli ecclesiæ Constantiensis, ut apparebat prima facie communitas, nos recepisse noveritis, et quarum tenor de verbo ad verbum sequitur, et est talis : Universis hæc visuris et audituris, Robertus, permissione divina, episcopus, et humile capitulum Constantiensis ecclesiæ, salutem in Domino. Notum facimus quod cum dudum super quibusdam articulis subscriptis inter bonæ memoriæ Joannem olim episcopum et nos capitulum Constantiense orta fuisset contentio, idem Joannes episcopus et non capitulum ducti bonorum virorum consilio, interveniente bonæ memoriæ Odone pro tempore archiepiscopo Rotomagensi, super eadem contentione in venerabiles et discretos viros magistros Matthæum de Esseio canonicum Constantiensem, et Johannem de Caromonte archidiaconum Bajocensem, ac et Petrum de Maceriis rectorem ecclesiæ de Lingrevilla, pro parte compromissimus. Qui quidem arbitri, onere hujusmodi compromissi in se suscepto, et cognito de præmissis, suam arbitralem sententiam super dictis articulis protulerunt et ordinarunt, prout in quodam instrumento super hoc confecto, sigillis eorum sigillato, plenius continetur, cujus tenor talis esse dignoscitur : In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, amen. Cum inter reverendum patrem Joannem, Dei gratia, Constantiensem episcopum ex una parte, et viros venerabiles capitulum Constantiense ex altera, coram reverendo patre Odone, Dei gratia, Tusculano episcopo, a domino papa in curia dictis partibus auditore concesso, super diversis articulis contentis in libellis hinc et inde editis coram auditore prædicto quæstio seu contentio verteretur : tandem interveniente reverendo patre Odone, Dei gratia, Rotomag. archiepisc. super omnibus et singulis articulis, etc. item et sic terminatur : Verum cum præfatus episcopus pro se, et magister Guillelmus Rupelle, et Robertus de Bosco, alias Bleton, canonici Constant. pro capitulo memorato nobis archiepiscopo, tam per prædictas literas quam oraculo vivæ vocis, cum instantia duxerint supplicandum, ut nos contenta in præscriptis literis rata et grata habere, laudare et approbare dignaremur, ac etiam auctoritate nostra metropolitana confirmare : nos attendentes in hoc esse utilitatem utriusque partium prædictarum, ipsarum supplicationibus inclinati, prædictam ordinationem factam super benedictionibus abbatum Constantiensis dioc. per episcopum qui nunc est, et pro tempore fuerit, in posterum impendendis, et super nemoribus in præfatis literis nominatis, de cetero absque de assensu et voluntate dicti capituli non vendendis ; maxime cum intellexerimus quod in dictis locis non sunt silvæ cæduæ seu forestæ antiquæ, quas si quis episcopus Constantiensis posset vendere pro suæ libito voluntatis, Constantiensis ecclesia damnificaretur in multum, cum prout ab eodem domino reverendo episcopo audivimus, multum sunt devastatæ aliæ forestæ circumquaque, ita quod pro maneriis et molendinis episcopalibus reparandis non posset sic convenienter de alio nemore recursus haberi ; et etiam super literis, tam de Constantiensi curia quam de curia Valloniensi, gratis canonicis dictæ Constantiensis ecclesiæ concedentis, ratam et gratam habentes, ipsam laudamus, approbamus, et auctoritate nostra metropolitana tenore præsentium confirmamus, articulis aliis in suprascriptis literis expressatis, sicut usque ad hæc tempora observati fuerunt,

in suo robore duraturis. In quorum omnium testimonium sigillum nostrum præsentiibus duximus apponendum. Datum Parisiis die tertia Martii, anno Domini M. CCCXIV, dictum capitulum Turonensis ecclesiae datum est, et transcriptum istud anno Domini M. CCCXIII, XVIII die Aprilis. Et ego Guillelmus de Ponte clericus, qui de Constantiis exiti oriundus, apostolica, necnon ad honorem sacrosanctae Romanae ecclesiae ac sacri imperii, almae urbis praefecturae dignitatis publicus auctoritibus notarius, praedictas literas vidi et palpavi, ut praemittitur, sigillatas, easque inveni sanas et integras, non cancellatas, non abrasas, nec in aliqua parte sui vitiatas, sed omni suspicione carentes, ac primo scriptas literas exemplari manu propria fideliter transcripsi de verbo ad verbum, nihil addendo, nihilque detrahendo, per quod intellectus varietur in aliquo vel mutetur, totum tenorem earumdem, cum principio et fine aliarum literarum confirmatoriarum praedictarum, redigens in hanc publicam formam. Et anno a Nativitate Domini M. CCCXVI, XVIII die mensis Aprilis, apostolica sede, ut dicitur, ad hoc per obitum felicitis recordationis domini Clementis, quondam quinti, vacante, scilicet apud Constantias in hospicio meo praedicti notarii originalis praedicti diligenter auscultavi cum praesenti transcripto faciendo inde collationem legitime cum Nicolao Lasnier clerico Sagiensis diocesis, praesentiibus ad hoc Thoma de Aurelianis, et Simone de Siena clericis Constantiensis diocesis, testibus vocatis super hoc specialiter et rogatis, ac instrumentum praesens super hoc confectum signo meo solito signavi rogatus in testimonium hujus rei.